



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Utrùm justitia inhærens, quæ infunditur in justificatione, sit
habitualis, an actualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

COROLLARIUM.

Justificatio peccatoris in duplici actione consistit, quarum una est remissio peccatorum, & altera infusio justitiæ inherens.

Pater ex dictis hoc & superiore Articulo. Pater etiam ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi dicitur: *Hanc dispositionem, seu preparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Hanc duplicem actionem, quæ justificationem constituit, exprimit Apostolus I. Cor. c. 6. his verbis: *Et hæc quidem fuistis (peccatores scilicet,) sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.*

ARTICULUS III.

Utrum justitia inherens, quæ infunditur in justificatione, sit habitualis, an actualis.

RESPONSIO.

Justitia, quæ in justificatione infunditur, habitualis est, non actualis.

Prob. 1. ex Scriptura, 2. Petri c. 1. verbis Art. superiore laudatis: ex quibus sic argumentor breviter. Justitia, quæ in justificatione infunditur, consistit in maximis & pretiosis illis donis, quibus, cum justificamur, sumus consortes divinæ naturæ, & quidem non transeunt, sed permanent. Ergo justitia, quæ infunditur in justificatione, non consistit in actibus; actus enim non permanent, sed transeunt. Ergo, quod idem est, non est aliquid actuale. Superest igitur, ut sit aliquid habituale, hoc est, ut sit aliquid, quod in anima etiam cum ab omni actu cessat, physicè permanet.

Prob. 2. ex S. Augustino, lib. 1. de pecc. mer. & rem. c. 9. ubi hæc habet: Dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & parvulis. Paulò ante dixerat: Hæc gratia baptizatos quoque parvulos suos inserit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Unde sic breviter argumentor. Parvuli non sunt capaces actuum deliberatorum, ut etiam hic observat S. Doctor, & tamen in baptismo accipiunt inherentem justitiam, & quidem eandem, quam accipiunt adulti, cum justificantur. Ergo inherens justitia non consistit in actibus. Ergo, &c.

Prob. 3. ex Trident. sess. 6. Postquam enim cap. 6. enumeravit actus salutes, quibus peccator adultus sese disponit ad consequendam justificationis gratiam, sic statim prosequitur c. sequenti: Hanc dispositionem seu preparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Et can. 3. sic pronunciat: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Ex his autem sic argumentor. Justificatio peccatoris actus salutes fidei, spei, &c. ab eo ex præveniente Spiritus sancti inspiratione, & cum ejus adjutorio elicitos, supponit, illosque consequitur. Ergo infusio inherens justitiæ, quæ justificatur peccator, supponit & consequitur actus salutes fidei, spei, &c. ab eo ex præveniente Spiritus sancti inspiratione & cum ejus adjutorio elicitos. Ergo inherens justitia non consistit in illis actibus, sed est aliquid ab eis distinctum, eisque superadditum. Nulli autem alii actus assignati possunt, in quibus dici possit consistere. Ergo inherens justitia, quæ justificatur peccator, sanctificatur & renovatur interiùs, est aliquid ab omni actu salutari distinctum, adeoque est aliquid habituale physicè, physicè permanens in anima.

Præterea c. 7. sic loquitur Synodus: Demum unica formalis causa est (nostræ justificationis) justitia Dei, non quæ ipse justus est, sed quæ nos justos facit; quæ vi-

delicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ & non modo reputamur, sed verè justî nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Quibus verbis Synodus apertè inherentem justitiam distinguit ab omni actu salutari illius, qui justificatur, de eaque loquitur ut de forma, quam causa efficiens introducit in subiectum per proprios actus ritè dispositum, nec aliter quàm passivè, ad illam concurrèns.

Denique idem caput Synodus concludit his verbis: *Itaque veram & christianam justitiam accipientes, eam seu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam, & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini Jesu Christi, & habeant vitam eternam. Juxta Synodum igitur, inherens justitia se habet ad modum vestis cujusdam, quæ propter meritum Christi donatur, & exornatur in justificatione, & quam jubemur putam conservare, sobriè scilicet, justè, ac piè vivendo in hoc sæculo, donec ante Christi tribunal compareamus. Quo modo loquendi apertè significatur inherentem justitiam esse aliquid fixum, stabile, ac permanens, quantum est ex se, adeoque non in uno aut pluribus actibus consistere. Quare quod inherens justitia sit aliquid non actuale, sed habituale, omnino persuasum nobis est, esse Tridentini Concilii doctrinam.*

Dices 1. Concilium locis citatis nihil aliud intendit, quàm damnare doctrinam hæreticorum, asserentium hominem justificari, non per justitiam ipsi intrinsicam, sed per extrinsecam; nempe per justitiam Christi, ei imputatam. Ad quod satis fuit, si Concilium doceret hominem justificari per inherentem justitiam, sive sit actualis, sive habitualis.

R. Concilium voluisse quidem damnare hæreticos, asserentes impium justificari per justitiam Christi imputatam, sed simul etiam ex occasione hujus erroris exponere omnes justificationis causas, finalem scilicet, efficientem, meritoriam, instrumentalem, & præcipuè formalem, quam apertè significat esse inherentem justitiam habitualem, & distinctam ab actibus salutaribus.

Dices 2. Justitia inherens habitualis ad nihil necessaria est. Ergo gratis asseritur. R. neg. ant. Nam necessaria est, non quidem absolute, sed secundum convenientem providentiam, & legem ordinariam, ad hoc ut habeamus principia intrinseca, proportionata actibus supernaturalibus, atque ita sumus intrinsecè & permanentè habiles ad actus illos modo conaturali exercendos.

Dices 3. Homo sufficienter justus est per actus supernaturales, quos exercet. R. Homo quidem, supposita peccatorum remissione, justus est justitia actuali per actus supernaturales, quos exercet; imò actibus illis physicè transeuntibus, sed moraliter in acceptione Dei permanentibus, justus est justitia in aliquo sensu habituali, hoc est, justitia actuali, physicè præterita, sed permanente moraliter: sicut cum mortaliter peccat, injustus est injustitia actuali per actum malum, quem exercet; & postquam peccavit, injustus injustitia habituali per actum malum, quem exercuit, & qui sic physicè præterit, ut quandiu non condonatur, moraliter perseveret. At præter justitiam illam habitualem, quæ in actibus bonis, physicè præteritis, & moraliter in acceptione Dei manentibus consistit, est alia habitualis justitia, physicè inherens animæ, in eaque physicè permanens, & sic eam permanentè habitans intrinsecè ad exercendos actus supernaturales. Hanc justitiam simul cum peccatorum remissione infusam accipit homo in justificatione, & sic ex injusto justus efficitur ea justitia, quæ præsupponitur alteri justitiæ, quæ actualis dicitur & est, quia in actuum exercitio posita est.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Utrum inherens iustitia habitualis, qua iustificamur, sit qualitas simplex, an plurium qualitatum collectio.

RESPONSIO.

Inherens iustitia habitualis consistit in collectione habituum fidei, spei, & charitatis, quibus una cum remissione peccatorum iustificamur.

Prob. 1. ex Conc. Trident. Concilium sess. 6. c. 7. dicit hominem iustificari per remissionem peccatorum, & voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, quibus sanctificatur, & renovatur interior; verba Concilii jam non semel recitavimus. Atqui Concilium per gratiam & dona, quibus homo sanctificatur & renovatur interior, intelligit habitus fidei, spei & charitatis. Ergo ex Concilio, homo iustificatur per habitus fidei, spei, & charitatis, iuncta remissione peccatorum. Ergo ex Concilio, inherens iustitia habitualis consistit in habitibus fidei, spei & charitatis, iuncta scilicet remissione peccatorum.

Prob. min. Nam Synodus postquam enumeravit causas omnes nostræ iustificationis, sic prosequitur: *Quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. Id autem in hac impii iustificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inheret. Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque Corporis ejus vivum membrum efficit.*

Juxta Synodum, homo iustus efficitur, cum ei certo modo communicantur merita Passionis Christi; & certo illo modo communicantur merita Passionis Christi, cum infusas accipit una cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Juxta Synodum igitur, homo iustus efficitur, cum propter merita Passionis Christi infusas accipit una cum remissione peccatorum, fidem, spem, & charitatem. Atqui hoc manifestè coïncidit cum eo, quod superius dixerat, iustificationem scilicet non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Synodus igitur per gratiam & dona, quorum voluntaria susceptione sanctificatur & renovatur interior homo, manifestè intelligit fidem, spem, & charitatem, & quidem habituales, non actuales: loquitur enim de fide, spe, & charitate, non quas elicit sed quas infusas accipit homo, & quidem natura prius credendo, sperando & diligendo sicut oportet ad iustificationis gratiam consequendam.

Prob. 2. Illud est inherens iustitia, per quod homo, qui iustificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur. Atqui homo, qui iustificatur, inseritur Christo, ei perfectè unitur, & vivum ejus membrum efficitur per habitus fidei, spei, & charitatis, iuncta remissione peccatorum. Ergo habitus fidei, spei, & charitatis constituunt inherentem iustitiam.

Major faciliè probatur: nam per illud homo inseritur Christo, & vivum ejus membrum efficitur, per quod iustificatur: iustificatur autem per inherentem iustitiam, minor verò apertè colligitur ex verbis Concilii proximè citatis: cum enim Concilium dicit hominem per fidem sine spe & charitate uniri perfectè cum Christo, ac vivum ejus membrum effici, & idcirco in iustificatione cum remissione peccatorum non solum fidem, sed etiam spem & charitatem infusas accipere; apertè supponit & significat, eum per fidem, spem & charitatem, quas infusas accipit, re ipsa uniri perfectè cum Christo, & fieri vivum ejus membrum.

Prob. 3. Inherens iustitia est, id quod formaliter constituit hominem in esse iusti, ut per se patet. Atqui collectio habituum fidei, spei, & charitatis for-

maliter constituit hominem in esse iusti. Ergo, &c. *Prob. min.* Esse iusti in homine duo tantum dicuntur essentialiter, nempe esse purum ab omni labe mortali, & esse intrinsecè ac permanentem habitalem ad exercendos actus supernaturales, qui versantur circa Deum immediatè. Atqui hæc duo formaliter præstat in homine collectio habituum fidei, spei & charitatis. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. fides, spes, & charitas habitualis sunt supernaturales potentie, animæ permanentes inherentes, adeoque illam intrinsecè ac permanentem habilitantes ad actus divini ordinis. 2. Charitas habitualis propter suam excellentiam, moraliter saltem impossibilis est cum omni labe mortali, adeoque omnem labem mortalem ab anima cui inest, expungit. Ergo, &c.

Obj. 1. Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia. Sed fides & spes non amittuntur per quodlibet peccatum mortale. Ergo fides & spes non sunt iustitia. *R. dist. maj.* Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia, quantum ad denominationem iusti, *C. maj.* Homo enim iustificatur, ubi primum peccat mortaliter, desinit esse iustus, & incipit esse iniustus, quod verum esse etiam in ea hypothèsi, in qua supponeretur in eo post peccatum mortale omnes habitus theologicos remanere. Per quodlibet peccatum mortale amittitur iustitia, quantum ad entitatem, *subd.* Amittitur partialiter, *C. iterum maj.* Totaliter, *N. maj.* Nam entitas iustitiæ est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. Per quodlibet autem peccatum mortale amittitur quidem habitus charitatis. At habitus fidei & spei non amittuntur nisi per actus sibi specialiter oppositos. Unde concessa minore, *dist. conf.* Ergo fides & spes non sunt iustitia totaliter sumpta, sive non sunt tota entitas iustitiæ, *C. conf.* Non sunt iustitia partialiter sumpta, sive non sunt partes iustitiæ, *N. conf.*

Dices. Ergo homo iustificatus potest peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere duas partes entitatis iustitiæ: potest enim peccare mortaliter, & tamen adhuc retinere fidem & spem habituales. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *Nego min. Prob.* Nam si homo iustificatus, admissio peccato mortali, adhuc tamen unam vel duas partes iustitiæ retineret; admissio peccati mortali, adhuc esset iustus. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Non enim iustus est, sed iniustus, qui neque purus est à labe mortali, neque intrinsecè habilis est ad omnes actus divini ordinis. Homo autem iustificatus, si peccet mortaliter, & labem habet mortalem, & amissa charitate habituali, amittit potentiam supernaturalem, qua intrinsecè habilitabatur ad diligendum Deum super omnia propter se. Non est igitur amplius iustus, sed iniustus.

Dices. Saltem erit semi-iustus, seu ex parte iustus. Absurdum *conf.* Ergo, &c. *R. neg. seq.* Ratio negandi est, quia denominatio iusti consistit in indivisibili: unde vel tota retinetur, vel tota amittitur. Et verò denominatio iusti dicit indivisibiliter duo, nempe puritatem animæ ab omni labe mortali, & intrinsecam ac permanentem habilitatem ad omnes actus illos, qui sunt immediatè circa Deum. Si hoc utrumque habes, iustus es. Si alterum tibi deest, nempe puritas à labe mortali, etiamsi, quod tamen secundum legem ordinariam fieri non potest, omnibus habitibus theologicis instructus maneat, adeoque intrinsecam ac permanentem ad omnes actus divini ordinis habilitatem retineas, simpliciter iniustus es, adeoque nullo pacto iustus dicendus.

Obj. 2. Ex Trid. sess. 6. c. 7. causa formalis nostræ iustificationis unica est. Sed inherens iustitia est causa formalis nostræ iustificationis. Ergo unica est. Ergo una est unitate simplici, ac proinde non est aggregatum ex habitibus fidei, spei, & charitatis. *R. neg.* hanc secundam *conf.* Nam Synodus, cum desinit causam formalem iustificationis nostræ unicam esse, vult tantum damnare sententiam asserentium hominem formaliter iustificari partim per inherentem iustitiam, partim per iustitiam Christi extrinsecè imputatam.

Jux-